

candi periculum semper inducit. Neque valet *secunda ratio*, quia emolumentum temporale non videtur tantum, ut maximum animæ periculum compensare possit. Confessarius igitur urgere debuit BERTAM ad occasionem peccati derelinquendam, sub denegatione absolutionis, præsertim cum agatur de occasione *in esse*, saltem generatim loquendo. Attendendum etiam est ad quantitatem relativam damni quod BERTA subire debet. Etenim si valde pauper sit, et stipendium notabile ipsi debeatur, v. g. multorum annorum, Confessarius sententiam suam temperare poterit. *Recole dicta supra, n. 691-692.*

R. ad 2^m Quæst. 1° Non facile de perfecta emendatione fides adhibenda est, præsertim post productam diu peccandi consuetudinem. 2° Etiam si de perfecta emendatione constaret, ordinarie neque permittendum foret ut in eodem contubernio permanerent. Ratio est, quia, ubi prava frequentatio præcessit, mira datur peccandi facilitas, et, præsertim occasione, ingens relapsus periculum instat.

699. — *R. ad 3^m Quæst. Affirm. per se.* Ratio est, quia tunc adest occasio proxima pro illa famula. Etenim ille qui libere commoratur ubi tam periculose ad malum allicitur, non potest rationabiliter superare tentationem nisi auxiliis gratiæ extraordinariæ, quæ ab ea sine temeritate sperari nequeunt: hoc autem præcipue, si præfata mulier sit fragilis, parum devota, raro accedens ad Sacramenta, præsertim si junior sit et forma speciosa. *Ita S. Lig. et alii communiter.*

Dixi *per se*, quia non est obliganda ad exeundum statim e domo famula jam ætate provecta, valde pietati dedita a peccato abhorrens, et quæ videtur paratissima ad media opportuna adhibenda ut tentationes repellat. *S. Lig. ibid.* Idem etiam dicendum est pro casu in quo ancilla exire non posset, nisi ut in æquale periculum et forte in majus incideret.

700. — *R. ad 4^m Quæst.* Confessarius PASCASIUM absolvere nequit, nisi ab istis consortiis, saltem ex magna aut maxima parte, serio abstinere velit. Ratio est, quia PASCASIUS se exponit sæpe et sine causa sufficiente periculo deordinationis valde gravis contra legem naturalem. Licet enim communiter tentationibus non consentiat, nihilominus ponit causam proximam motuum graviter deordinatorum et etiam pollutionis, quod a peccato mortali excusari nequit. Præterea, quamvis hucusque pravis tentationibus non consenserit, vel raro iis adhæserit, periculo postea consentiendi exponitur: *qui enim amat periculum, in illo peribit. Eccli. 3. 27.* Neque PASCASIUS excusari potest ratione necessitudinis, seu amicitiae specialis, qua ejus familia cum familia vicina conjungitur; hæc enim necessitudo non exigit ut tam frequenter mulieres adeat, neque ut tanto tempore cum iis commoretur. Non est tamen prohibendus ne interdum eas visitet, præsertim in cognatorum societate. Itaque Confessarius PASCASIO proponat has Spiritus Sancti sententias: *In medio mulierum noli commorari Eccli. 42. 12.* — *Cum aliena muliere ne sedeas. Eccli. 9. 12.* — Subjungat quoque illud Poetæ, lepidis hisce versiculis expressum:

*Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?
Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas.*

CASUS XI.

DE CONSUEUDINARIIS.

1° MAURITIUS, Confessarius, benignitatis fama notissimus semper quoscumque prava consuetudine irretitos absolvit, licet a longo tempore in cæno vitii tabescant, dummodo de peccatis dolere videantur, et emendationem promittant. Innititur præsertim in hac regula in *Catech. Rom.* tradita: *Si, audita confessione, judicaverit (Sacerdos) neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem OMNINO DEFUISSE, ABSOLVERE POTEST. (De Sacram. Pœnit. n. 82).* Hinc facile absolvit prima vice sequentes pœnitentes: 1° NIGRITIUM, juvenem a decem annis in mediis impudiciis immersum, et occasione mortis concubinæ ad meliorem frugem conversum; 2° GAUDENTIUM, bibulum, senem a quadraginta annis non confessum, et occasione Jubilæi ad tribunal Pœnitentiæ accedentem; 3° JUCUNDAM puellam die sequenti nupturam, et a sex mensibus in prava peccandi consuetudine cum sponso versantem.

2° THYRSUS autem, diversis prorsus addictus principiis, nunquam consuetudinarios absolvit, quin eos ter aut quater in confessione audierit, et per tres aut quatuor aut etiam sex menses eorum emendationis experimentum fecerit; quia, ait, licet hujusmodi pœnitentes dispositi appareant, non constat tamen eos non esse relapsuros; hoc autem solo temporis experimento probari potest.

HINC:

QUÆR. 1° *An consuetudinarius prima vice absolvi possit? vel utrum experimentum temporis requiratur?*

2° *An expediat, ut statim absolvatur? et an absolutio differri possit, si de ejus dispositione constet?*

3° *Quid de agendi ratione utriusque Confessarii?*

SOLUTIO:

701. — *R. ad 1^m Quæst.* Consuetudinarius quilibet semper prima vice absolvi potest, etsi nulla emendatio præcesserit, modo eam serio proponat, et vera signa pœnitentiæ, licet *ordinaria* tantum, ostendat. Nec proinde temporis experimentum ad propositum ejus probandum requiritur. *S. Lig. n. 459-462. — V. Comp. n. 623-632 et seq.*

702. — *R. ad 2^m Quæst.* 1° Differri potest absolutio *per se* ad breve tempus, licet pœnitens consuetudinarius videatur sufficienter dispositus, scilicet ut melius adhuc disponatur. Pœnitens enim, quamvis jus habeat ad absolutionem, non habet jus ut statim absolvatur; quia ad Confessarium, ut medicum, spectat judicare pro meliori bono pœnitentis quid sit magis opportunum. *S. Lig. n. 454.* Utrum autem expediat absolutionem differre pœnitenti, etiam consuetudinario sufficienter disposito, hoc pendet a variis circumstantiis, et quam maxime attendendum est ad id quod ma-

jus pœnitentis bonum requirit. Non est autem differenda absolutio pœnitenti disposito, nisi ipse libenter id acceptet : etenim, si pœnitens dilationem ægre ferat, difficile dilatio ei profutura erit. *V. Comp. n. 623.*

703. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o MAURITIUS nullo modo videtur inquietandus *per se*, si iudicium efformet de dispositione pœnitentis *relative probabiliori*. Attendat tamen num pœnitens, præter peccandi consuetudinem, in occasione extrinseca versetur.

2^o THYRSUS errat graviter existimando consuetudinarios semper et solo temporis experimento probandos esse, et ejus directio omnino pernicioosa et intolerabilis iudicanda est. *S. Lig. n. 459 — V. Comp. n. 632, 633, 638.*

CASUS XII.

DE RECIDIVIS 1^o.

1^o BONFILIUS, Sacerdos, facillime absolvit non semel sed pluries pœnitentes qui, accepta absolutione, in eadem consuetudinis peccata relabuntur, quoties aliquam emendationem, aut signa, licet *mere ordinaria*, doloris in eis deprehendit. Imo absolvit per annum octavo quoque die Marcum juvenem, pluries in hebdomada in eadem circiter incontinentiæ peccata labentem, sed *extraordinaria* doloris signa afferentem, v. g. statim post patratum peccatum ad confitendum properantem, et coram Confessario gemitus et suspiria ex corde edentem; et postea de perfecta ejus emendatione gavisus est.

2^o SEVERINUS, Confessarius, oppositam sequens praxim, absolutionem denegat omnibus recidivis, donec perfecte emendantur; imo ad repetendas confessiones præteritas eos adigit, utpote firmo proposito destitutas, ac proinde sacrilegas : quia, ait, *ille qui firmiter non amplius peccare proposuit, non tam cito relabitur, sicut domus solide ædificata non tam cito corrui*. Nec facile movetur signis specialibus doloris, quia signum verius pœnitentiæ est a peccatis abstinere.

HINC :

QUÆR. 1^o *An recidivus absolvi possit cum signis pœnitentiæ ordinariis? vel saltem cum signis extraordinariis?*

2^o *An absolvi possit recidivus qui redit cum eodem numero peccatorum, si extraordinaria doloris signa præ se ferat?*

3^o *Quid de utroque Confessario dicendum?*

SOLUTIO :

704. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Recidivus semper absolvi potest cum signis pœnitentiæ *extraordinariis*, siquidem hujusmodi signa argumentum indubium de pœnitentis dispositionibus præbent, nec alia probatio ulla tenus requiritur. Ita *communissime* Theologi.

2^o Generatim non est absolvendus recidivus cum signis tantum *ordinariis*, saltem si jam pluries relapsus fuerit, nisi ratio specialis aliter

suadeat. Cæterum in omni casu ad bonum spirituale pœnitentis quam maxime attendendum est, ut ait *S. Lig. n. 459. V. Comp. n. 636.*

705. — *R. ad 2^m Quæst. Affirm.*, quia signa *extraordinaria* doloris argumentum certum de pœnitentis dispositionibus præbent. Nec refert quod totidem peccata aut etiam plura commiserit, quia non de numero peccatorum, sed de dispositionibus pœnitentis est inquirendum; dispositiones autem pœnitentis ex signis *extraordinariis* certæ evadunt.

706. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Non est arguendus *per se* BONFILIUS, ex eo quod pluries recidivos cum signis *mere ordinariis* absolverit. Etenim, ex *S. Lig. n. 454*, licet absolvere pluries pœnitentem qui versatur in occasione extrinseca peccati, non tamen præsentè, etiam seclusis signis *extraordinariis* pœnitentiæ : ergo *a fortiori*, si agatur de recidivo in consuetudinem *intrinsecam*, seu *solitariam*. Recte autem egit BONFILIUS *toties quoties* præfatum juvenem absolvendo, quia signa *extraordinaria* doloris, quæ afferebat, semper in ejus favorem militabant. Sic fertur S. Philippum Nerium, Romæ Apostolum, absolvisse, singulis hebdomadis per plures annos, juvenem aliquem in eodem incontinentiæ peccato pluries in hebdomada relabentem, at semper postea sincere dolentem; et tandem de perfecta ejus emendatione gavisus est.

707. — SEVERINUS, Parochus, omnino est damnandus, quippe qui pœnitentes excessiva severitate damnat. Numquid hujusmodi Confessarius est Christi dignus minister? Ejusne vices gerit? Ipsiusne visceribus induitur? Numquid pœnitentes in eo cognoscere valent patrem amantem, medicum prudentem, pium Doctorem? Nequaquam; sed tantum severum iudicem et conscientiarum tyrannum! Quantum claudicans sit et absurda comparatio inter propositi et domus constructæ firmitatem, nemo non videt. Numquid ignoras, o SEVERINE, ex propria etiam experientia, quanta sit voluntatis humanæ mobilitas et fragilitas?

Audi Chrysostomum ad Theodorum l. 2, n. 2 : *Lubrica est natura humana; cito decipitur, sed cito a fraude se expedit; et sicut confestim cadit, ita confestim erigitur.* — Gousset, n. 544.

708. — *Sed objicis* : Signum verius pœnitentiæ est a peccatis abstinere, nam ait *S. Greg. in Evang. l. 2, hom. 34* : « Pœnitentiam agere est perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare. » Et *S. Isidorus, l. 2, de summo Bono* : « Irrisor est non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. »

R. Cum S. Thoma, Summ. p. 3, q. 84, a. 10 : « Pœnitere est anteacta peccata deflere et flenda non committere, scilicet, *simul dum flet, actu vel proposito*. Ille enim est irrisor, non pœnitens, qui, *simul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterum facturum quod gesit...* Quod autem aliquis postea peccat vel actu, vel proposito, non excludit quin prima pœnitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim cucurrit qui postea sedet, *ita vere pœnituit, qui postea peccat.* » *V. Gousset, ibid. — V. Comp. n. 633.*

CASUS XIII.
DE RECIDIVIS 2°.

CAPRASIIUS a longo tempore pessimam habet consuetudinem se polluendi. Sæpius a Confessario sine absoluteione dimittitur, quia minime fuit emendatus. Tandem ad confitendum accedit, non magis emendatus, imo cum majori relapsuum numero, sed extraordinarie commotus ex repentina morte cujusdam amici, sine confessione defuncti.

HINC :

QUÆR. 1° *An CAPRASIIUS absolvi potuerit?*

2° *An pœnitenti non absoluto, ad longum tempus absolutio differenda sit?*

3° *An facilius sit absolvendus recidivus in habitum solitarium aut intrinsecum, quam recidivus in occasionem extrinsecam?*

SOLUTIO :

709. — *R. ad 1^m Quærs.* CAPRASIIUS statim absolvi potuit, quippe qui signa doloris *extraordinaria* præbuit. Nec refert quod plura adhuc peccata commiserit, quia, si emendatio non apparet ex consuetudinis immutatione, de ea ex insolita contritione constat.

R. ad 2^m Quærs. Neg. omnino, quia tanta dilatio ad nihil aliud prodest quam ad pœnitentem a Sacramentis avertendum. Cum dilatio aliqua absoluteionis expedire videtur, ad breve tempus fieri debet, v. g. ad tres, quinque, octo, aut ad summum quindecim dies. *V. Comp. n. 623.*

710. — *R. ad 3^m Quærs. Affirm. cum S. Lig. n. 463*, ubi sic loquitur :

« Dico quod si pœnitens relapsus sit ob causam seu *fragilitatem intrinsecam*, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosæ, odii, blasphemix; et similibus, *raro puto differendam esse absoluteionem* recidivo sufficienter disposito per signum *extraordinarium*... »

« Dixi 1° si pœnitens sit relapsus *ex causa intrinseca*; nam, si reciderit ex causa extrinseca, dico absoluteionem omnino differendam esse usque dum tollatur occasio, si sit voluntaria; si vero necessaria, donec periculum recidendi ex proximo fiat remotum.

« Dixi 2° *raro*; nam *regulariter* censeo non discedendum a sententia communi..., nempe non esse differendam absoluteionem pœnitenti qui relapsus est ex *intrinseca* fragilitate, quia in tali pœnitente magis sperandum, profuturam fore gratiam Sacramenti, quam dilationem absoluteionis.

711. — « *Sed dices*. Cur differenda est absoluteio pœnitenti qui est in occasione extrinseca, et non illi qui relapsus est ex prava consuetudine, cum eodem modo impellat ad peccandum occasio extrinseca, ac prava consuetudo? *Respondetur* : Alio quidem longe diverso modo ad pec-

« catum impedit occasio extrinseca, quam pravus habitus; occasio per objecti præsentiam, quæ vividas excitat cogitationes, vehementer movet sensus ad peccandum, affectumque ad peccatum reddit intensiorem. Sic ideo pœnitens maximam vim sibi inferre debet, non solum ad superandam tentationem, sed etiam ad conandum ut periculum per fugam familiaritatis cum persona complicitis ex proximo fiat remotum. Prava autem consuetudo cum non habeat objectum extrinsecum præsens, non ita utique, sicut occasio, ad peccandum impellit; unde fit ut pœnitens minorem vim sibi inferre debeat ad abstinendum a peccato. Præterea, cum pravus habitus sit quid intrinsecum et inseparabile a persona, extirpatio habitus minus quam occasionis remotio pendet a propria voluntate; et ideo magis sperandum quod Deus bonam voluntatem per majora auxilia adjuvabit ad perseverandum. »

CASUS XIV.

CONFESSARIUS CUM PUERIS.

Controversia acerrima agitata est in quodam cœtu Sacerdotum, de rebus theologicis disputantium, circa pueros nondum ad primam Communionem admissos. Alii volebant ut nunquam pueri hujusmodi absolventur, quia instructionis et contritionis sufficientis non videntur capaces, adeoque exponitur periculo nullitatis Sacramentum sine profectu puerorum. Alii contendebant absolvendos esse eos qui peccatorum gravium rei viderentur. Alii vero asserebant omnes esse saltem aliquando absolvendos, nisi evidenter absoluteionis incapaces apparerent; sed serio ac diligenter esse adlaborandum Confessario, ut capaces fiant.

Similes quæstiones agitabantur de ætate in qua pueri ad confessionem essent admittendi, vel in gravi morbo ultimis Sacramentis reficiendi forent, et hinc et inde disputabatur.

HINC :

QUÆR. 1° *An aliquando absolvi possint vel debeant pueri nondum ad primam Communionem admissi?*

2° *Quandonam ad confessionem admittendi sint?*

3° *Quali ætate, urgente mortis periculo, sacro Viatico et Extrema Unctione donari possint, vel debeant?*

4° *Quomodo generatim cum pueris procedendum?*

SOLUTIO :

712. — *R. ad 1^m Quærs. Affirm.* Absolvi possunt, et debent, saltem quoties prudenter judicat Confessarius eos reatum peccati mortalis contraxisse, vel de hoc fundatam habet suspicionem. Esset enim summa imprudentia et immanis crudelitas tales pueros vinculis Satanæ irretitos, et periculo æternæ damnationis expositos tamdiu relinquere. Nec dicas illos pueros vix esse doloris ad Sacramentum requisiti capaces; nam qui

possunt a Deo separari per peccatum, bene etiam reconciliari possunt per pœnitentiam. Si tibi major difficultas occurrat in iis ad dolorem præparandis, non est sufficiens excusatio a majori cura erga ipsos a te adhibenda; imo, licet pueri non judicentur versari in statu peccati mortalis, utilissime etiam interdum absolventur, saltem *sub conditione*, ne tamdiu gratia Sacramenti priventur, et ad minus semel in anno. *S. Lig. n. 432 et 666; in Praxi Conf. n. 90; et Hom. apost. tr. ult. n. 37.*

713. — *R. ad 2^m Quæst.* Pueri ad confessionem admittendi sunt quando censentur doli capaces, seu gaudere usu rationis, quia tunc formaliter peccare possunt, et proinde subjecti fiunt legi divinæ et ecclesiasticæ confessionis; quandonam autem censeantur doli capaces, non potest unica regula definiri: hoc enim non pendet a sola ætate, sed a qualitate ingenii, educationis..., etc., v. g. si eos pudeat de mendaciis, de aliqua impudicitia commissa, licet septennes nondum sint. Non sunt autem generatim habendi absolutionis capaces pueri qui confitendo frequenter vertunt caput, qui respiciunt alios circumstantes, qui digitis ludunt in clathris, nugantur cum pileolo..., etc. *Lacroix, n. 1796.*

Expedi autem puerulos, licet absolutionis nondum capaces, ad confitendum admittere, ut sic instruantur et confessioni assuescant. *Lacroix, n. 1795.*

714. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Reficiendi sunt sacro Viatico pueri de vita periclitantes, qui sunt rationis usum adepti. Ratio est, quia ex una parte pueri in tali periculo constituti ex lege divina communicare debent, et ex alia parte ob magnam utilitatem ex Eucharistia suscipiendam tanta dispositio in suscipiente non requiritur. Graviter igitur errant Parochi qui S. Viaticum ejusmodi pueris administrare nolunt. *S. Lig. de Euch. n. 301. — Gousset, n. 233. — Billuart, dissert. 6, art. 7.*

2^o Etiam pueri nondum septennes, sed ratione præditi, Extrema Unctione muniendi sunt. Ratio est, quia nulla conditio in ipsis deest ut eam valide et licite recipere possint; siquidem sunt peccati actualis capaces, et de vita periclitantur. *S. Lig. de Extr. Unct. n. 207, et alii communius, quibus consonat Bened. XIV, de Syn., l. 8, c. 6, ubi approbat quod tradit Rituale Argentinense, nempe non denegandam esse Extremam Unctionem pueris septennibus, nec iis quibus malitia supplet ætatem, licet ad septennium non pervenerint.*

715. — *R. ad 4^m Quæst.* Sic generatim agendum videtur:

1^o Permittantur pueri primum ipsi sua peccata explicare; si vero in hoc deficiant, præsertim si notentur doli capaces, juvandi sunt per has aut similes quæstiones, v. g. sequendo ordinem præceptorum: An mane et vespere oraverint? An diebus Dominicis et festis devote Missæ interfuerint? An in ea garriverint per notabile tempus? An Catechismum neglexerint, an in eo attenderint? An parentibus vel præpositis inobedientes fuerint? An aliquid a parentibus vel aliis abstulerint? An mentiti sint, etc.

716. — 2^o Si puer appareat audacior, interrogari poterit, caute tamen, an cum sociis indecenter egerit? Si fateatur, interrogari poterit quid fecerit? Si peccatum veniale ex gravioribus fateatur, v. g. furtulum,

mendacium, expedit interrogare an frequenter fecerit, ut sic paulatim addiscat numerum in gravioribus esse explicandum. In dubio an pueri forte graviter peccaverint, etiam in materia levi, ex conscientia erronea, possunt interrogari an putaverint per id mereri infernum? Et tunc corrigenda est conscientia ubi falsa deprehenditur. Cæterum caveat Confessarius ne nimius sit in examinando pueros, et ne indiscrete interroget, quo fiat ut pueri horrorem confessionis concipiant.

717. — 3^o Si puer appareat satis instructus ad Fidem Spemque supernaturalem eliciendam, excitari potest, præmisso paucis actu Spei et Fidei, hoc modo, ad dolorem:

« Fili, quo deveniunt qui peccant? Nonne ad infernum, qui in gravi peccato moriuntur, et ad purgatorium qui de venialibus non dolent, et peccatam non agunt? Patientur in inferno in purgatorio gravissimas pœnas, in inferno æternas, et in purgatorio temporales, sæpe durantes per multos annos; possesne illas sustinere? Non posses per horam dimidiam jacere in rogo, vel manum tenere in accensa candela; quid ergo fieret, si deberes totus ardere instar ferri candentis multis annis in purgatorio, vel inferni igne sulphureo in æternum? Possesne tolerare? Non posses, deberes tamen. » *Reuter, Neo-Conf. n. 402 et seq.*

CASUS XV.

CONFESSARIUS CUM MORIBUNDIS 1^o.

LUBINUS, Sacerdos, magno zelo erga moribundos accensus sæpe sæpius eos absolvere solet, etiamsi sensibus jam sint destituti et prius Sacramentis muniti fuerint, dum adhuc usu rationis gauderent. Sed a PAULINO socio reprehenditur, quia contra Ecclesiæ praxim superflue Sacramentum Pœnitentiæ nullitatis periculo exponit: « Moribundi enim, ait, Sacramentis semel muniti, sunt in pace reliquendi et tantum precibus adjuvandi. »

HINC:

QUÆR. 1^o An expedit moribundos pluries absolvere, si morbus protrahatur?

2^o Quid de praxi utriusque Sacerdotis?

3^o Quomodo generatim cum moribundis agendum?

SOLUTIO:

718. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Expedi sane pluries absolvere moribundos, qui adhuc usu rationis potiuntur; etenim delinquere possunt, et quidem frequenter: ergo etiam absolvi possunt, licet fortasse venialiter tantum peccent. Insuper absolutio pluries repetita plurimum inservire potest ad moribundum contra diaboli insidias et animi dejectionem præmuniendum et confortandum. *S. Lig. n. 480.*

Sunt quidem Confessarii qui in hoc excedunt, absolutionem decies v. g.

per semihoram repetendo. Attamen Confessarii sæpius infirmum invisere debent, si morbus protrahatur, postquam Sacramentis munitus fuerit, ut eum in mediis doloribus et tentationibus extremi agonis solentur, et ad spem fiduciamque erigant (1).

2^o Imo expedit pluries iterum absolvere moribundos sensibus jam destitutos. Ratio est, quia intervallum lucidum habere possunt pro sequenti absolute, licet forte in præcedenti nullum habuerint. Insuper, si usu rationis, licet brevi tempore, gaudeant, iterum atque iterum peccare possunt, et proinde etiam medicamine spirituali indigere. Ita S. Lig. n. 482, in fine; et Hom. apost. n. 57, ubi dicit: *tales infirmos posse absolvi etiam ter vel quater in die.*

719. — R. ad 2^m Quæ. 1^o Magnopere laudanda est agendi ratio LUBINI, et inducendus est ad eam sedulo prosequendam, pro fructu, auxilio ac solatio moribundorum, qui omnimodo in tantis angustiis adjuvandi sunt.

2^o Consequenter ipse carpens PAULINUS jure meritoque carpendus est, ex eo quod praxi infirmis adeo salutari obsistat. Praxis autem illa, licet ab Ecclesia non expresse præscribatur, a pluribus Theologis, et præsertim a S. Ligorio, cujus doctrina ab Ecclesia approbata est, docetur et enixe commendatur, atque a piis Confessariis communiter adhibetur.

720. — R. ad 3^m Quæ. Confessarius, in excipiendo moribundorum, confessionibus, non debet tam severe procedere circa numerum et species, quam cum cæteris; quia vires mentis et corporis pœnitentis, aut forte instans mortis periculum, id non permittunt. Hoc præsertim valet: 1^o si pœnitens ægre confiteatur, et minutis quæstionibus graviter defatigandus esset; 2^o si Sacerdos jam accessisset cum Sacro Viatico, aut si medicus instaret ut Viaticus cito infirmo ministraretur: tunc enim melius est ad dispositionem pœnitentis, quam ad integritatem confessionis attendere; sufficit tunc infirmo imponere, ut confessionem repetat cum convaluerit.

CASUS XVI.

CONFESSARIUS CUM MORIBUNDIS 2^o.

Casus extremæ necessitatis.

ALBINUS, neo-Sacerdos, ut Vicarius GERUNDIO Parocho jam senescenti adjungitur; sed vix ad locum sibi assignatum advenerat imperitus ALBINUS, eique obsequia præstiterat, cum ecce GERUNDIUS audiens

(1) « Les Curés et les Confesseurs ne doivent pas se persuader que tout leur ministère soit rempli, lorsqu'ils ont administré les derniers Sacraments à leurs malades. « Ils continueront à les voir et à les servir le plus souvent qu'il leur sera possible, « pour les soutenir et les fortifier, aux approches de la mort, contre les attaques de « l'ennemi du salut. Un évêque ne peut tolérer la conduite d'un Curé, d'un Desservant « ou d'un Aumônier qui néglige de visiter les malades, après leur avoir donné l'Extrême- « Onction. » V. Goussé, n. 622.

TITIVM concubinarium, a pluribus annis cum meretrice cohabitantem, moribundum jacere: « Perge, perge ocius, ait novo suo ministro; tu enim juvenis velocius ad auxiliandum periclitanti advolabis. Eia, ne timeas, casus quidem gravissimus est qui tibi prima fronte occurrit; sed tales casus ad experientiam, mi bone, viam sternunt. » Præsto adest tremebundus Vicarius. Jubet statim ejici concubinam. TITIVS parere recusat: 1^o quia ista mulier est sibi et familiæ necessaria; 2^o quia plures liberos ab ea suscepit; 3^o quia ab anno integro cum ea non peccavit, et ipse est ex hac vita jamjam discessurus. ALBINUS dubitat utrum possit hunc moribundum absolvere, Eucharistia reficere, sacro Oleo perungere. Tandem nullum Sacramentum ei concedendum esse statuit, et tristic mœrensque recessit. Mox autem TITIVS animam efflavit, ante tribunal tremendi Judicis compariturus.

HINC:

QUÆR. 1^o An TITIVS absolvi potuerit, et aliis muniri Sacramentis, non ejecta concubina?

2^o Quid de rationibus ab illo allatis?

3^o Quid, si ageretur de concubina in domo amasii ægrotante, aut de meretrice in lupanari moribunda?

4^o Quid, si concubinatus esset occultus, v. g. si famula cum hero clam male viveret?

SOLUTIO:

721. — R. ad 1^m Quæ. Communiter loquendo absolvi non potuit, si concubinarium fuit publicum, ut in casu supponitur. Ratio est, quia, præter occasionem peccati fugiendam, necessaria est satisfactio scandalo proportionata; seu, per separationem publicam, scandalum publicum omnino removendum est.

Dixi communiter loquendo, quia, si concubinarium graviter decumbens mulierem dimittere non possit, v. g., si adeo sit derelictus, ut, ea dimissa, neminem habeat qui ipsi necessaria præstet, tunc absolvendus est, et aliis Sacramentis muniendus, modo vere contritus judicetur et coram adstantibus promittat, se mulierem ejecturum esse statim ac ad sanitatem redierit, in tali enim necessitate scandalum reparatur eo modo quo reparari potest: nemo quippe ad impossibile tenetur, *Bouvier, Dissert. in 6^m Præcep. Decal. art. 2.*

722. — R. ad 2^m Quæ. Per se rationes a TITIVO allatæ non valent ad eum excusandum ab obligatione concubinam dimittendi. Etenim: 1^o *Non valet prima ratio*, scilicet concubinam esse ipsi et familiæ necessariam, nisi neminem habeat præter eam ad sibi auxiliandum; siquidem ratio scandali tollendi quam maxime urget. 2^o *Nec valet secunda ratio*, nempe eum liberos a concubina suscepisse; urget enim magis inde separationis obligatio, cum scandalum adhuc apertius sit. 3^o *Nec valet tertia ratio*, scilicet utrumque a concubinato ab uno anno cessasse, quia ignorant alii an verum sit, et cohabitatio semper scandalum producit. Nec obstat quod TITIVS sit moriturus; scandalum enim prius tollendum est.